UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R. P. Ferdinandi De Castro Palao, Legionensis Soc. Iesv, Sacræ Theologiæ Professoris, Et sanctæ Inquisitionis Qualificatoris & Consultoris; Operis Moralis, De Virtvtibvs, Et Vitiis Contrariis, In ...

De Ivstitia Et Ivre, Continens Tractatvs De Prvdentia, Fortitvdine, & temperantia, de Ieiunio, & Iustitia generaliter sumpta, de Iustitia commutatiua, nempe de Pactis, & Contractibus in genere, de Promissione, & Donatione liberali, de Commodato, & Deposito, de Mutuo, & Vjura, de Emptione, & ...

Castro Palao, Fernando de

Lugduni, 1669

XII. Qualiter dominium animalium acquiratur, & acquisitum deperdatur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-76677

Visual Library

tollenda.& notat Couarru.*dicto lib.4. dec.2.p.§.7. n.*Molina. *tract.2.de iuſt.diſp.39.circa finem.*Rebell.*de oblig. iuſtit.lib.1. q.13.n.5. & 6.*

Vndecimò: Domino in hæreſim incidente, tametſi poſtmodum Eccleſiæ reconcilietur eius ſerui ex probabiliori ſententia libertatem conſequuntur. Vt probaui.*tractat.de fide diſput. 5.p. 26.n.18.*

Duodecimò teſtatur Rebell.*lib.1.de obligat. iuſtit.q.13. circa finem*, ſeruos exiſtentes in Gallia conſequi libertatem ob conſuetudinem illius regionis quæ non permittit ſeruos, ne horum occaſione pauperes illius regionis careant heris quibus obſequantur,& à quibus victum accipiant Idem tradit de ſeruis exiſtentibus Romæ, & confugientibus ad Senatum Cameræ Apoſtolicæ, Vrbiſque conſeruatores, modo baptizati ſint, & Senatui ſubdantur.

Pvnctvm XII.

Qualiter dominium animalium acquiratur, & acquiſitum deperdatur?

1 *Animalia alia ſunt naturâ manſueta, alia fera.*
2 *Manſueta regulariter Dominum habent.*
3 *Quid dicendum de animalibus feris?*
4 *Quid ſpecialiter de apibus in tuo alueari commorantibus.*
5 *Expenditur, an fera à te vulnerata, & ab alio capta, tua ſit, an capientis?*
6 *Quid de fera in tuo laqueo ſeu venatorio inſtrumento irretita, quam alius tertius occupat?*

1 PRæmittendum eſt animalia eſſe alia naturâ ſuâ manſueta, vt ſunt oues, boues, equi, porci, gallinæ, anſeres domeſticæ: alia naturâ ſuâ fera; vti ſunt lepores, cerui, perdices, & piſces omnes. Alia partim domeſtica, partim fera, tametſi eiuſdem ſint ſpeciei, vt anſeres, cuniculi, columbæ. Hominum tamen induſtria quæ naturâ ſunt fera cicurantur, & manſueſcunt, vt accipitres, & cerui quæve manſueta ſunt ſibi relicta, fera redduntur, vt ſues, & capræ.

Animalia naturâ ſuâ manſueta regulariter Dominum habent, à quorum dominio non eximuntur tametſi aberrent, vel à fera deferantur; quia ob has cauſas nec natiuam libertatem obtinent, nec difficilè poſſunt ex ſe à proprio Domino poſſideri, ideóque quidquid, ex eis reliquum fuerit ſiue pellis, ſiuè caro Domino competit. Habetur. *§. gallinarum inſtit. de rerum diuiſione, & leg. Pomponius. ff. de acquirendo rerum dominio. & leg. Pōponius. ff. familiæ erciſcundæ.* Quæ vero hominum induſtriâ manſueta ſunt, ſi ita Dominum fugiant vt neque ad ipſum reuertantur vt anteà, neque facilè Dominus ea poſſidere poſſit, cenſenda ſunt fera reddita, & natiuam libertatem obtinuiſſe. Vti deciditur. *§. fera inſtit.de rerum diuiſione. & leg.3.& ſequentibus. ff.de acquirendo rerum dominio.* Vnde ſi accipitres, falcones, cerui, & ſimilia quæ aliquando manſueta extiterunt ſic fugiant, vt prudentis arbitrio nulla adſit ſpes reuertendi, eaue comprehendendi libertatem naturalem reputanda ſunt conſecuta, fieríque primò capientis Columbæ verò tui columbarii, ſi alterius columbarij columbis permanenter aggregentur, cenſeri debent tuum dominium fugiſſe. Reputabuntur autem columbarium tuum deſeruiſſe. Sylueſt.*verbo inuentum quæſt* 2.Nauarr.*cap.17. numer.* 128. Maior.*in 4 diſt.15.quæſt.10.*Leſſius *lib.2.cap.5.dub.6. numer.30.* Si bis, vel ter tempore conſueto non redierint.

3 Quoad fera animalia attinet ſub nullius poteſtate exiſtentia; in dominium primò capientis cedunt, ſiue ea capiat in proprio, ſiue in alieno agro. Vt habetur *§.fera inſtit.de rerum diuiſ.& leg.3. ff. de acquirendo rerum dominio.* Retinet autem eorum dominium dum ſub ſua cuſtodia ita coërcet, vt abſque graui difficultate comprehendere poſſit. Quod dixerim propter feras vaſto loco incluſas, quas ſigillatim ſumptas Dominus loci non valet facilè comprehendere, ſed ipſæ ſe à captura fugiendo defendunt, quarum dominium eſto à principio acquiſierit, illud tamen amiſit terminum reclusionis ſic latum concedens. Vt rectè docuerunt Couarru.*reg. pecatum.2.p.§.8.num.15.* Molina.*diſp.41.in fine.* Rebell.*lib.1.de obligat.iuſtit.quæſt.14.ſect. 4.n. 19.* Paul Layman.*lib.3.ſum.ſect. 5.tract.1.cap.5.num. 16. verſ. His adde.* Quod à fortiori procedit, cum feræ locum reclusionis egrediuntur, nec facilè valent comprehendi. Vti tradunt prædicti Doctores: Et colliguntur, *ex leg.3.§. item fera. ff. de acquirendo rerum dominio*

4 Hinc conſtat quid dicendum ſit de apibus in tuo alueari commorantibus: tandiu enim illorum dominium retines, quamdiu ante oculos tuos verſantur, nec difficilè potes comprehendere. Vnde examen apum ex tuo alueari procedens tuum eſt, dum comprehendere potes, quia eius fructus eſt cuius eſt origo. *§.item ea quæ ex animalibus.inſtit.de rerum diuiſione.* Secus ſi diſparet, & difficilè vales comprehendere, quia tunc erit primò capientis eſto in fundo tuo capiatur. Non enim ex eo quod in tuo fundo conſederit, dominium illius, acquiris, ſicuti neque alterius animalis ibidem conſedentis, quia illa confeſſio non præſtat tibi facultatem dictis animalibus vtendi, & fruendi: hanc enim poteſtatem concedit illorum apprehenſio, & captura, ex qua poſſis ſub tua cuſtodia retinere. Poteris tamen quemlibet extraneum impedire ne tuum agrum ingrediatur ad examen capiendum, quod ſi nonobſtante tua prohibitione ceperit, illius erit; obligatur tamen reſtituere quantùm tua intererat, ne illuc ingrederetur. Vti conſtat.*ex §.apum.§.paunum inſtit.de rerum diuiſione.leg.naturalem.§.apum.ff.de acquirendo rerum dominio.& leg.3.§.Nerua.ff.de acquirend.poſſeſſ.*Et tradit Nauarr.*in ſum.cap.17.num.* 128.Molina.*tract.2.diſp. 41. poſt medium* Leſſius *lib. 2. cap. 5. dub.6 num.32.*Rebell.*lib.1.quæſt.14. ſect.1.num.4.*

Ex dictis duplex difficultas decidenda eſt. Prima, An fera à te 5
vulnerata & ab alio capta tua ſit, an capientis? Communis ſententia, quam tradit aliis relatis Couarru. *in reg.peccatum.2,p.§.8. n.13* affirmat capientis eſſe. Vt deciditur.*leg.naturalem.§.quaſitum eſt ff. de acquir. rerum dominio. & §. item quæſitum eſt inſtit.de rerum diuiſione.* Et ſubdiuiditur ibi ratio, quia plura accidere poſſunt quæ obſtent, vt ad manus vulnerantis perueniat. Vnde à contrario infertur tuam fore, ſi moraliter conſtaret nihil obfuturum quin eam caperes. Nam eſto ante captionem ſolo vulnere illato dominium feræ non acquiras, acquiſiſti tamen ius ne tibi acquirendum impediatur. Quod ſi dubium fuerit an eam fores capturus, capientis erit; quia in dubio melior eſt conditio poſſidentis, quo ſenſu intelliguntur *lex naturalem. & §. quæſitum:* pars tamen aliqua tibi adiudicāda eſt, ſi per vulnus inflictum cauſa fuiſti, vt ab alio caperetur, aliàs non capienda, Sic docent Molina.*tract.2.diſp.42.in princip.* Rebell.*de obligat.iuſtit. lib. 1.quæſt.14.ſect.4.num.27.*Leſſius.*lib.2.cap.5. dub.10 num.47.* Layman,*lib.3. ſum. ſect. 5. tract.1. cap.5. num.13.* Eman.Saa. *verbo venatic.num.3.edit Romana.* Quod dictum eſt de vulnere dicendum eſt de inſecutione, vt bene aduertit Molina, & Rebell.*ſupra.* Si enim feram inſequaris, quam probabiliter præſumis capturus, tua erit, neque poterit ab alio tertio præoccupari: ſi dubium fuerit adiudicabitur capienti, qui ſi videat tuam inſecutionem ad capturam concurriſſe, ſoluere tibi debet quanti prudentis arbitrio ille concurſus æſtimabitur.

Secunda difficultas prudenti ſimilis eſt de ferâ in tuo laqueo, 6
ſeu venatorio inſtrumento irretita, quam alius tertius occupat. Hanc eſſe capientis affirmat Sylueſt.*verbo inuentum, quæſt.2.* Maior.*in 4.d.15.quæſt.10.*Nauarr.*cap.17.num.* 176. Couarru. *in reg peccatum.2.p § 8.num.* 13.& deciditur. *leg. in laqueum. ff.de acquirendo rerum dominio & leg.regia.21.tit. 28.part.3.* Sed hæc ſententia intelligenda eſt caſu quo putaretur fera ad tuas manus non peruentura, ſed antequam illam poſſes occupare libertatem conſecutura crederetur; quia eo caſu per laquei comprehenſionem non videtur libertatem amiſiſſe. Tenetur tamen occupans tibi ſoluere quanti comprehenſio æſtimata fuerit, ſi in cauſa fuit vt feram caperet, alias non capturus. Verùm ſi moraliter conſtaret è laqueo egredi non poſſe cenſeo tuam fore non illius, qui eam è laqueo extraheret: tum quia eâ comprehenſione videris dominium illius aſſecutus; æquiualet enim ac ſi manibus comprehenderes, & eſto illius dominium non habeas, habes tamen ius ne in eius dominii acquiſitione impediaris. Vt rectè docent Mol.*dicta diſp.42.circa finem.*Leſſius.*lib.2.cap.5.dub.11.* Rebell.*lib.1 quæſt.14.ſect 4.*Layman.*lib.3.ſect.5.tract.1 cap.5. numer.* 13. Quod ſi extracta fera, & laqueo ſoluto alius tertius laqueum tuum tendat, fera quæ ibi comprehenditur & tibi & laqueum tendenti adiudicanda eſt, tibi quia medio laqueo ad eius capturam concurriſti, alteri quia laqueum tetendit. Vt optimè Molina, Leſſius, & Rebellus adnotarunt.

Pvnctvm XIII.

Quouſquè venatio, piſcatio, & aucupium prohiberi poſſit?

1 *Poſſe Principem, vel Rempublicam in communem vtilitatem certis in locis, vel temporibus venationem, ſeu piſcationem prohibere certum eſt.*
2 *In prædiis quorum proprietatis dominium Principi competit, venationem, ſeu piſcationem prohibere poteſt.*
3 *In prædiis communitatis, ipſâ renuente, non caret difficultate, an poſſit Princeps venationem interdicere?*
4 *Tenendum eſt id Principem poſſe.*
5 *Quid debeat cauere Princeps in prædicta reſeruatione?*
6 *Explicatur prædicta doctrina.*
7 *Impediens iniuſtè alterum à venatione, ſeu piſcatione, ad reſtitutionem tenetur.*

POſſe Principem, vel Rempublicam in eius communem vti- 1
litatem certis quibuſdam temporibus, vel locis, vel aliquibus inſtrumentis venationem, ſeu piſcationem interdicere compertum eſt apud omnes. Prohibet enim ferarum venationem tempore quo grauidæ ſunt; venationem leporum, cuniculorum, perdicum, columbarum tempore niuis: piſcationem illis inſtrumentis quibus

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN